Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31706
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Laodicensis syrie episcopus sub probo et caro imperatoribus floruit mire doctrine vir in arithmetica musica geometrica astronomia gramatica rethorica dialetica. cuius ingenii magnitudinem de volumine quod super pascha composuerat et x libris arithmetice institutionis intellegere possumus. lxxiiii.

Victorinus petabionensis episcopus non ita latine ut grece noverat unde opera eius grandia in sensibus vilia videntur compositione verborum. Sunt autem hec commentaria in genesim. in exodum. in leviticum. in ysaiam. in ezechielem. in abacuc. in ecclesiasten. in canticum canticorum. in apokalypsin iohannis. adversus omnes hereses. et multa alia. Ad extremum martyrio coronatus est. lxxv.

Pamphilus presbiter eusebio cesariensi episcopo necessarius. tanto bibliothece divine amore flagravit. ut maximam partem origenis voluminum sua manu descripserit. que usque hodie in cesariensi bibliotheca servantur. Sed in xii prophetas xxv ἐξηγήσεων origenis repperi volumina eius exarata studio. que tanto amplector et servo gaudio. ut cresi opes habere me credam. Si enim leticia est unam epistolam habere martyris. quanto magis tot milia versuum. que mihi videntur sui sanguinis signasse vestigia. Scripsit antequam eusebius scriberet ἀπολογίαν pro origene. Et passus est cesaree palestine sub persecutione maximiani. lxxvi

Pierius alexandrine ecclesie presbiter sub caro et diocletiano principibus eo tempore quo eandem ecclesiam theonas episcopus regebat. florentissime populos docuit. et in tantam sermonis diversorumque tractatuum venit elegantiam. ut origenes iunior vocaretur. Constat hunc mire continentie et appetitorem voluntarie paupertatis. scientissimum dialetice artis. post persecutionem omne vite sue tempus rome fuisse versatum. Huius est longissimus tractatus de propheta osee. quem in pervigilio pasche habitum ipse sermo demonstrat. lxxvii

Lucianus vir disertissimus antiochene ecclesie presbiter in tantum in scripturarum studio laboravit. ut usque nunc quedam exemplaria scripturarum lucianea nuncupentur. Feruntur eius de fide libelli et breves ad non nullos epistole. Passus nicomedie ob confessionem christi sub persecutione maximiani. sepultus helenopoli

Phileas de urbe egypti que vocatur thymnis. lxxviii bithinie nobilis generis et non parvis opibus. Suscepto episcopatu elegantissimum librum de martyrum laude composuit. et disputatione actorum habita adversus iudicem qui eum sacrificare cogebat. pro christo capite truncatur. eadem in egipto persecutione et auctore. quo lucianus nicomedie. lxxviiii

Arnobius sub diocletiano imperatore sicce apud affricam florentissime rethoricam docuit. Scripsit adversum gentes volumina que vul

Firmianus qui et lactantius arnobii lxxx go extant

cresi